

Mors prorsus, nam facile eligerem timere, si modo nunquam morerer.

Tu ergo ex illis es, qui optarent in sempiternis cruciatibus esse, dum semper viverent? ^(a)

Minime. nam, etsi nunc, dum michi nichil egri ^(b) sentio in corpore, omnia prope viderentur ferenda dum non morerer, memini tamen aut acutam febrem aut gravem aliquem dolorem passus noluisse, si daretur optio, semper in ea conditione esse.

Tune pluris corporis quam animi cruciatum extimas ^(c), qui cum dolore corporis vivere perpetuo nolis, cum metu autem mortis ¹⁰ sempiterno, tam magno malo, hoc ipsum non refugias?

Hoc ego, si dixi, non sentio. sed, quemadmodum michi nunc liberum est timere, quoniam et cogitare liberum est; dum enim non cogito, nichil timeo; hoc pacto conditionem admitterem.

Sed heus! tu, qui mortem maius extimas malum quam mortis ¹⁵ metum, parum michi videris habere fidei Ciceroni, qui in Tusculanis mortem asserit non modo non esse malum sed etiam bonum ^(d), an quicquam est malum preter ignorantiam et errorem?.... ^(d).

Ego vero cupio nunquam de ea re cogitare. 20

Recte quidem, si modo possis ^(e), sed humani casus et nature nostre conditio non facile te diu sinent mortis immemorem esse. nam que domus, quod tectum, quis denique locus diu funere vacat? hic morbo victus perit; ille senio, quod et ipsum ^(f) morbus est, ut ille ait ^(g), extinguitur; alter gladio aut vi quadam rapitur: ita ²⁵ mille sunt moriendi vie. igitur, nisi plane lapidei sumus, cum necessarium nostrum quenpiam aut agnatum aut amicum sodalemve aut etiam extraneum quenlibet hominem ^(g)....

(a) *G* viveres (b) *G* aegre (c) *B³* extimās *G* aestimas (d) *Dopo errorem lacuna segnata in B³* (e) *G* possim (f) *Codd. que et ipsa* (g) *G annota nel marg. « reliqua in antiquo codice desiderantur ».*

(1) *Cic. Tusc.* I, passim.

(2) *TERENT. Phorm.* IV, 1, 9.